



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

17. An etiam illis, qui paucis ante diebus, veluti octo vel paucioribus ante conceptam pestem confeßi fuerunt?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

R. Negando quod assumitur: falsum enim est, necessitatem prouenientem ex uoluntatis defectu non obligare parochum ad subueniendum subdito in spiritualibus cum periculo uitæ, aliàs enim nunquam ad hoc obligaret charitas, nisi forte respectu paruulorum baptismo egentium: hoc autem falsum est: ut constat ex his quæ de correctione fraterna & scandalo tradunt communiter Theologi.

### Q V Æ S T I O X V I I .

*An etiam illis, qui paucis ante diebus, ueluti octo uel paucioribus, ante conceptam pestem, confessi fuerunt?*

*Quæstionis explicatio.*

**S**unt plures, qui frequentius solent confiteri, & venerabile sacramentum Eucharistiæ sumere, accidit ut aliquot diebus à sacramentis perceptis quispiam illorum incidat in morbum contagiosum, quaeritur, an parochus etiam huiusmodi teneatur adire, & confessionem iterum excipere an vero excusetur?

*Responsio.*

**R**ecurrèdum est in hoc casu, sicut & in multis similibus ad ea, quæ dixim<sup>9</sup> in  
iij



ratio huius capituli: si n. pastori constet moraliter de bona dispositione ipsius poenitentis, & scit illum Deum timere, adeoque prudentem & doctum esse, ut si quid saluti noxium haberet, statim illud declararet, & pastorem sedulo aduocaret, non erit opus, illo casu accedere, quia tunc subditus non est in necessitate graui, minus extrema.

Dices: Multi (a) graues Doctores affirmant, parochum teneri multis casibus ad confessionem suorum parochianorum audiendam, etiam quando illi ex precepto non obligantur confiteri, debet ergo & hoc casu eorum confessionem, si illam facere optent, excipere.

a *Adrian. q. 5, de confessi. dub. 8. Soto dist. 18. q. 4. ar. 2. Nauar. c. consideret, de poenit. dist. 6. à nu. 152.*

¶ Illud verum esse regulariter & per se, non autem quando tantum parochus immineret periculum, ut alias fiet manifestius.

### QVÆSTIO XVIII.

*An etiam illis, qui aliquoties à blasphemis absoluti, quas præ vi morbi euomuerunt, iterum in illas reuincunt?*

Quæstionis explicatio.

**E**A est frequenter vis morbi pestilentialis, ut homines alioquin catholicos ex infirmitate humana ad impatientiam, blasphemias, & similis generis peccata